

nōn amittit robur suū, cum divinæ tantū potentia sit, neutiqum humanæ, Ecclesiam conservare.

XXVI. (2.) Adoriuntur vocem *Φέρων* quam non de interiori & essentiali sustentatione, sed *de gubernatione, quæ vel exterius, vel ad bene esse res tantum conservat*, accipiendam putant, quia verbum *Φέρειν* motum includit, unde & *Φερά*, impetus. *Socinus* loc. cit. At hoc *ἐνδυσάλυτον* est. Nam (α) verbum *Φέρειν* non semper motum includit. Confer, Joh. XV. 2. & 4. Hebr. XIII. 13. (β) Ponamus gubernationem omnium hic tantum locum habere, non tamen facit pro adversariis, cum & hæc opus sit soli Deo proprium, Act. XVII. 28.

XXVII. Huc tertiò referri potest *opus Redemptionis*, cui nudus homo non erat sufficiens, qua infinita Dei justitia erat expianda, & æternis pœnis æquivalens *λύτρον* persolvendum. Sed de hoc inferius, quando ad demonstrationem officii Christi Sacerdotalis, quod Apostolus v. 3. insinuat, perventum fuerit.

XXIIX. Quartum, pro adstruenda Divinitate Christi, argumentum præbet *attributum eternitatis*, quo de v. 8. *πρὸς δὲ τὸν υἱὸν, Ὁ Θεὸν ὅσως, Ὁ Θεὸς, εἰς τὸν αἰῶνα τῶ αἰῶ- νων.* ex Ps. XLV. 7. & v. II. *σὸ δὲ διαμένεις v. item 12. σὸ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σὸ ἔκ ἐκλείψῃσι,* ex Ps. CII. 27. 28.

XXIX. Syllogismus esto talis: Deus ille, cujus thronus in seculum seculi, & penes quem est merum esse, finisque nullus, verus est & æternus Deus. Atqui Christus est Deus, ille &c. Ergo.

XXX. Utut minor ex dictis sit irrefragabilis, eam tamen labefactare conantur veritatis adversarii. Sic enim *Calvinus* ad versum 7. Ps. XLV. *Simplex ἔστι γένυινος sensus est,*